

hominum vera Dei invocatione, fide, spe, patientia & alijs pijs affectibus & virtutibus instruendos, & inflammandos, diuinius nobis data est, & vere est $\omega\gamma\omega\sigma\tau\iota\sigma\mu\acute{o}\varsigma$, siue praeustus vite futurae & harmoniae symphoniae aeternae. Ne autem de alijs, quae Coburgi, & scripsit & egit utiliter Lutherus, prolixus esse commemorando videar, cum pleraque cognosci possint ex scriptis publice editis, non est hoc saltem praeterendum aut omittendum, quid in causa, quam sacramentariam nuncupant, ibidem actum sit. Cum enim Principes & Theologi nostri Augusta congregati, nollent eorum, qui de cana Domini diuersam ab institutione & sententia verborum Christi opinionem disseminabant, & à controuersia Sacramentarij, atque à doctore suo praecipuo Cingliani nominabantur, confessionem suae confessioni admiscere, & tamen non deessent, qui Heluetiorum doctrinam in negotio publico, tantum uno in articulo, ut ferebatur, à nostra confessione discrepantem, non seiungendam esse à communi contra aduersariorum errores coniunctione iudicarent, de consensu Electoris Saxoniae ablegatus fuit ad Lutherum Martinus Bucerus, conciliationis causa. Retulit saepenumero Vitus Theodorus, quod etiam D. Matthesius ex eo se audiuisse commemorat, Lutherum pridie, quam Bucerus aduenisset, vespertilionem affixisse parieti, & globulo corculum eius collimando perijisse, & unà cum iaculo emisso idem

G

ex cor-